DE

HYDROPE LIENIS MORBIS PRODUCTO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE OBTINENDUM

DIE XV. M. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXLII.

PUBLICE DEFENDET

FRANCISCUS KLAES,

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

M. JOS. KREUTZWALD, MED. ET CHIR. DR.

JOS. HALLER, MED. ET CHIR. DD.

J. WALDORF, MED. ET CHIR. CAND.

BONNAE,

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD.,
DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITTER.
COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC.

PRAECEPTORI MERITISSIMO AC SUMMEQUE
VENERANDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quo magis sensim sensimque scientia medica augeatur, quo magis in dies singulae ejusdem disciplinae novis inventis et experientiis locupletentur, eo difficilius etiam horum omnium redditur studium et cognitio, et tempus academicis studiis destinatum vix sufficit, ut immensam harum rerum primis labris degustemus, ne dicam, ut in earum penetremus interiora. Quid igitur mirum, si tiro in medicina, omnibus suis intentis viribus, ut pro sua parte omnia disceret, quae ab eo jure poscantur, priusquam munus curandi, in periti manibus aeque salubre atque in imperiti periculosum, ei tradatur, si is, dico, in summis versatur animi angustiis, quum repente discipuli cum magistri partibus mutare, quum, quae vix didicerit, jamjam docere, quum e lectore statim scriptor evadere debeat. Poscit enim vetustus mos, ut qui summos in medicina honores impetraturum se profiteatur, dissertatione conscripta viam sibi aperiat et quem fugit, quanta quotque ars nostra huic mori debeat. Quum autem non modo nova detegendo, sed etiam pristina perlustrando, vera probando et falsa refutando, disjecta colligendo et in unum coercendo nos utiles reddere possimus, optimum duxi materiam eligere, quae neque penuria, neque abundantia librorum de ea conscriptorum laborat, ita ut tiro, quid legat quidque eligat, non ignoret. Perlustrabo

paucis his foliis hydropem lienis morbis productum, quam materiam ea praecipue de causa elegi, cum in libello quodam de hydropicis affectionibus nuper edito [1]) hujus hydropis speciei nulla facta sit mentio. Libenter igitur obediens praeceptoris dilectissimi, Friderici Nasse, voluntati, ut lacuna egregii illius anglici tractatus expleatur a discipulo quodam, haud incongruum mihi est visum, aegritudinis tam dignae observatione, quam frequentis in nostris regionibus, historiam secundum variorum medicorum libros conscribere, disjectas adhuc hydropis lienosi observationes colligere ac referre easque nonnullis quibusdam novis in clinico nostro institutis augere. Plurima igitur non mea sunt, et paucis, quae e proprio addidi, tuam indulgentiam haud defuturam esse spero.

---

1) *Pathologie und Therapie der Wassersuchten von Osborne, aus dem Engl. von Ant. Soer. Leipzig* 1840.

Nullius visceris, quod peritoneum investigantis medici oculis abscondit quodque hic serosus saccus proprio quodam circumdat involucro et tegumento, vis physiologica tamdiu fuit aenigmatica atque ignota quam functio lienis, neque immerito mihi dixisse videtur Grottanelli [1]), praestantem de splenitide libellum hisce verbis introducens: „Inter medicorum libros atque adversaria, nec non in artis medicae diariis quaestiones circum lienis historiam atque functiones ex Hippocrate hucusque exagitatae saepissime reperiuntur, nec ulla forsan est humani corporis pars aut viscus, in cujus naturam atque functiones investigandas tam facile deliraverint homines, cum eorum indagines effugere semper visae sint sive in homine, sive in aliis vertebratis animalibus institutae illae fuerint.« Modo peculiarem quandam obtinebat splen ad ventriculum ejusque functiones rationem, modo nullus sine liene parabatur sanguis, modo purgabat tantum lien sanguinem ab alienis rebus: quae sententiae atque hypotheses variis temporibus mutatae sunt, immo etiam eo pervenit, ut experimentis edoctus canes felesque, liene spoliatos, per longum temporis spatium non vixisse solum sed pinguisse etiam, lienem supervacaneum atque inutilem haberes eumque sine ambagibus nominares viscus parasiticum, quod symmetricam tantum rationem quandam in situ viscerum abdominalium obser-

1) Cf. ejus ad acut. et chron. splenitidis eidemque succedentium morborum historias. Florentiae 1821.

vandam sustineret. At ridicula haec opinio minime arridebat prudentiori medicorum parti, praesertim cum periti physiologi, uti Mascagni, Ruysch, Cruikshank, Hewson subtilissima lienis praeparatione ac maceratione ditissimos in ea plexus venarum, arteriarum et vasorum lymphaticorum invenissent, quibus splen valde fit similis structura glandulis meseraicis. Omnem vero dubitationem, quae de similitudine structura lienis atque glandularum meseraicarum medicis inhaerebat, sustulit et quasi evulsit experimentum, quod Tiedemannus, sagax ac perspicax physiologus instituit in testudine myda.

Plures jam annos abhinc inter medicos constabat hydropem haud raro produci nonnullis illarum glandularum morbis, at qui idem de morbosis quibusdam lienis affectionibus contenderet, nemo fuit, etsi iam veteribus medicis haud erat ignotum hydropem, praesertim asciten provocari affectionibus jecinoris lienisque morbosis.

Magnus ille Hippocrates, qui solis observationibus innixus viscus hoc ἐπίνοσον nominat, quippe quod una cum capite plurimis obnoxium sit aegrudinibus, lienem scaturiginem fabricamque unius quatuor humorum vocat, nempe productorem aquae in organismo, cum lien una cum cerebro maxime sit cavus, ad attrahendos humores inde aptissimus. Pertractatis his mentionem facit illius morbosae conditionis, qua plus justo attrahit humoris aquosi lien. Ita autem hydropem depingit eiusque originem demonstrat in libro περὶ νούσων [1]) cap. 37 et 38: »Procedit namque potus in ventriculum et ubi expletus

1) Cf. Hippocratis opera omnia ed. van der Linden vol. II. pag. 158 et seq.

est, splen de ipso suscipit et distribuit ad venas, et ad omentum et in declive deorsum, et in scrotum et ad crura et ad pedes. Et postquam morbus ex aqua multa obortus fuerit, procedit de ventriculo et semper ad splenem venit de potu, ubi biberit homo. Contigit autem in hoc morbo, ut neque febricitet alias ex ventre, quam ubi homo sitiat, vesica autem et ventriculus non justo modo excolent neque conveniente diaeta utatur homo. At splen subaegrotans a ventre de potu attrahit. Morbus autem oboritur et scrotum pellucidum fit et claviculae et collum et pectora attenuantur. Colliquantur enim ab hoc morbo et humor ad ventriculum defluit et infernae partes aqua plenae sunt: et venter cibum aversatur, et quandoque valde adstringitur quandoque defluit. Nec vesica justo modo excolat et plerumque horros alias atque alias per corpus discurrit et quandoque febris corripit. Aliquibus etiam tibiae rumpuntur, ubi morbus diuturnus factus fuerit et aqua illinc effluit. Et quibusdam facies tumida fit, quibusdam non. Incidunt et vigiliae et impotentia corporis, ac maxime lumborum. Et postquam edit aut bibit etiam paulo amplius splen affligitur et spiritum frequentem semper emittit. Atque haec signa hydropis sunt. Est autem et circa ventriculum solum, sive febris corripuerit, sive non; et venter magnus fit et crura implentur aqua. Etenim ubi acervatim aqua accessit et via in principiis non pateat ad infernas partes, sed acervatim in venis concludantur, nimirum ut quae respirationem non habeat, neque sursum neque deorsum inniti potest; siquidem perspiratio sursum aut deorsum contingat, transit ad, crura hydrops et ad pedes; sin minus, isthic solum volutatur circum ventriculum.« In libro *περὶ παθῶν* princeps medicorum haec refert: »Quidam splenici a

pharmacorum potu nihil utilitatis sentiunt, neque a reliqua curatione quicquam gracilior splen ipsorum evadit, sed quae adhibentur a magnitudine morbi superantur; progressu vero temporis aliquibus in hydropem morbus degenerat et corrumpuntur.« [1]) Et in libro primo περὶ γυναικείων haec proferuntur: [2]) »Si mulier aqua inter cutem laborarit, splene ipsius magno et aquoso existente; fit autem splen aquosus ab hac affectione, quum febris habuerit et non demiserit hominem et sitis ipsum corripuerit fortis et biberit ac non revomuerit. Nam quod in vesicam penetrat, per urinam ejicitur. Reliquum vero splen capit, abstrahens a ventre ad seipsum, ut qui rarus est et spongiformis et secundum ventrem situs. Et si his sic habentibus non exudarit, neque alvus laxetur, ab hoc splen attollitur et hoc magis si aqua fuerit potus, et si quis ipsum contingat, mollis est velut mollissima pluma sive lana, quandoque vero etiam renititur. Elevatus autem et impletus distribuit per venas corpori et maxime in omentum et locos circa ventrem et crura. Altera enim pars ad alteram delegat in corpore, ubi singulis plus quam oportet affuerit et continere non poterint. Succedit autem ex hoc semper hydrops, ubi splen ad seipsum trahere consueverit, quum natura rarus sit ac mollis.“

Galeno [3]) haud ignotum fuisse hydropem produci posse liene affecto ex scriptis eius elucet. Increpat enim saepius Erasistratum, eximium illum chirurgum atque cadaverum dissectorem, qui splenem nulli vacare docuit negotio et irrito factum esse a natura, eundemque

---

1) Cf. l. c. (de affectionibus). c. XXI. pag. 173.
2) Cf. l. c. cap. LXXXVII. pag. 469.
3) Cf. Galeni de usu partium lib. IV. c. 15. ed. Kühn.

medicum vituperat, quippe qui ex hepate solum, non ex lienis vitio hydropem originem ducere autumet. Ipse vero signis affecti lienis adnumerat hydropen in libro IVto de usu partium. [1])

Celsus [2]) in libro III., cap. 21, de ascite pag. 100 haec docuit: Saepe vero hoc malum per se incipit, saepe alteri vetusto morbo maximeque quartanae supervenit; porro pag. 102, cum de curandi methodo disserit: Si jecur aut lienem affectum esse manifestum est, ficum pinguem contusam adjecto melle superponere; et paulo post Erasistrati opinionem, qui hunc morbum jecinoris solum putavit, corrigens ita pergit: Sed primum non hujus visceris unius hoc vitium est, nam et liene affecto et in totius corporis malo habitu fit.

Plurima post saecula Herm. Boerhaare [3]) inter causas ab eo observatas, quae varia hydropis genera produxerunt producuntque nostro adhuc tempore, commemorat dysenteriam lienosam diu permanentem, omnes obstructiones viscerum pertinaces, scirrhum hepatis, lienis, quartanam saevam et diuturnam.

Morgagni in libro tertio de sedibus et causis morborum (epistola XXXVIII. cap. 19) haec refert: Ex his omnibus asciticorum dissectionibus ne unam quidem perleges, quin jecur male se habuisse, cognoscas. Simul autem in earum aliquot disserte adnotatum animadvertes, ut male se quoque lien habuerit. Nec aliae desunt ex

---

1) Cf. ejus de natur. facult. lib. II. ed. Kühn. Tom. II. p. 109.

2) Cf. A. Cornelii Celsi medicina ed. F. Ritter et Herm. Albers. Coloniae ad Rhenum 1835.

3) Cf. ejus Aphorismi de cognosc. et curandis morbis. Norimbergae 1755.

quibus intelligas, cum in eodem morbo hepar non admodum a naturali statu discessisset, lienem magnum fuisse et duriusculum, aut cum hepar prorsus naturaliter esset constitutum, lienem solito majorem et totum quantum scirrhosum, tamque durum fuisse, ut non sine difficultate scindi et dividi novacula potuerit.

At non haec solum atque alia indicia veterum medicorum, sed ea etiam, quae coaevi variis in libris fecerunt, novissimis temporibus plane oblitus esse videtur anglicanus ille scriptor. Etenim Osborne omnes se hydropis species in libro jam commemorato peregisse gloriatur, quod vero quisque, qui libellum illum pervolvit, denegare oportet, cum inter alias hydropis ea quoque requiritur ac desideratur, quae lienis morbis debet originem. Plane ignorasse aut fortasse oblitus esse videtur Osborne casus illos, memoratu certe dignissimos, quos Grottanelli, Heusingerus atque alii de hydrope lienoso jam diu ordini medicorum communicaverunt.

Symptomatologia.

Praecedit huic aegritudini lienis facies pallida, plumbea, lurida, flava interdum vel ex flavo fusca, speciem fere icteri gerens, cujus causa forsan in sympathica affectione aut in compressione hepatis per lienem, longe superantem magnitudinem normalem, cernitur. Heusingerus vidit unum aegrotum, cuius totum corpus pallidum colorem et gena sinistra rubedinem circum scriptam ostendit, et alterum, cujus facies haud discrepavit a pedis anserini flavedine. Oculi interdum coeruleo annulo circumdati. Labia pallida, livida et sicca; lingua arida aut albide obtecta; sitis permagna; desiderium

ciborum raro turbatum, plerumque diminutum, interdum taedium ciborum alternat famem maximam. Alvus tarda, parca; sedes normales, interdum sanguinolentae; urina flavescens, raro tantum fusca, pallide rubescens et turbida, calore haud coagulans et pondere specifico normale haud attingente. Cutis arida, pallida et laxa; frigidus totius corporis ambitus plerumque, sed Grotanelli casum refert, quo abdomen ad gradus XXVII thermometrum Reaum. ascendere faciebat, dum aliis applicatum corporis partibus signabat gradus XXIII. Totum corpus emaciatum et praecipue membra, quae nonnisi e cute et ossibus consistere videntur. Mensium atque haemorrhoidum fluxus, si antea aderat, fit irregularis, raro plane sistitur. Tristis ac moerorus aegrotus, qui sanguineo aut cholerico est temperamento atque annis iam provectus (aggreditur enim hic hydrops frequentissime annos paulo provectiores, infantes et senes rarius afficit, minime tamen ipsis omnino parcit;) quaeritur cephalgiam frontalem, saporem ructusque amaros, quos interdum vomitus cruentus sequitur; adest sensus gravedinis totius corporis et plenitatis regionis epigastricae atque hypochondrii sinistri; vexatur aegrotus tussi sicco et cordis pulsationibus, etsi symptomata cordis physicalia invenire non licet, neque minus propendit ad lipothymias. Pulsus plerumque frequens, parvus, facile comprimendus et haud raro ob affectionem cordis sympathicam intermittens. Symptomata maxime peculiaria constant localibus, quae raro membranarum solum malum, sed cum eo plerumque coniunctum morbum parenchymatis lienis indicant.

Hydrops ipse, morbosis lienis affectionibus productus, hunc fere decursum nobis offert: Incipit condylis

altius, a tarsis pedum et frequentissime ab initio oedematose intumescit latus sinistrum, ita ut tumor oedematosus plures pollices iam condylos hujus lateris superaverit, priusquam eos in latere dextro attingit. Hanc differentiam non initio solum aegritudinis animadvertere potes, sed, ut Heusingerus observavit, per totum decursum latus sinistrum majus atque altius dextro est tumefactum. Sensim sensimque existit anasarca universalis, facies et scrotum intumescit. Omnes corporis cavitates tandem explentur sero, at quaenam primum, certe statuere nequeo, cum vicissitudo quaedam hac in re obesse posse videtur. In universum ascites, nisi deest, primus ortus habendus est; etsi hydrothorax quoque primum existere potest, ut praeceptor meus, quo dextrum tantum pectoris latus obtinebat hydrops, casum observavit. Opinioni Heusingeri, qui pericardio primum, et frequentissime quidem, exsudari serum putat, minime assentit Grottanelli, qui medicus hydropericardium paucis tantum horis ante mortem et in ipso mortis agone oriri contendit. Hydrops non semper omnes occupat corporis cavititates, sed modo arachnoidea tantum et pericardium exhalat serum, et ascites atque hydrothorax desunt, modo omnibus parcit cavititatibus et tela cellulosa subcutanea omnium aut singularum tantum corporis partium hydropi praebet paratque sedem.

Quodsi nobis necroscopia ac sectio cadaveris instituere ac facere licet hominum, qui per vitam summo hydropis lienosi gradu vexabantur, multa ac varia oculis se offerunt: jam aspectus cadaveris externus a norma admodum recedit; per majorem illius partem, praecipue in facie, palpebris superioribus atque extremitatibus, in eo latere, cui aeger incubuerat, oedema conspicitur valde

extensum. Tela cellulosa subcutanea incisa, ubique aliqua effluit seri quantitas. Abdomen est tumidum, durum et sonum fuscum reddens; nec raro in uno alterove pede apparet locus gangrenosus, ortús vesicula quadam livida, magnitudine unius vel plurium pollicum, quae mox disrumpens et in insigne ulcus gangrenosum transiverat.

Cranio reserato dissectisque membranis effluit seri haud parvi aestimanda copia, quae sulcos cerebri explens totam ejus superficiem obtegit; neque minus scatent fluido seroso, pellucido ventriculi, praecipue laterales, cerebri, quod ipsum structura raro a norma discedit.

Thorace aperto, pulmones fere semper normales inveniuntur, si excipiamus tubercula quaedam cruda, quae telae pulmonali intersparsa animadvertis, aut quasdam inter pleuram pulmonalem et costalem adhaesiones, consistentia et firmitate longinquam indicantes originem. In ipsis pleurae saccis raro major continebatur seri copia, quae vero, si adest, frequentissime longe superat normam. Pericardium fere semper est repletum, ita ut cor, interdum aliquid molle et friabile fluido factum, sero quasi innatet.

In abdominis cavo mutationes omnium conspiciuntur gravissimae. Integumentis discissis serum flavo-viridescens atque pellucidum effluxit, quo omentum et involucrum viscerum parietale quasi maceratum videtur. Ventriculus ceteraque liene proxima intestina falsis quibusdam ligamentis cum liene cohaerent. Renes ac pancreas nullas ostendunt morbosas affectiones. Hepar interdum simili ac lien laborat morbo, quod vero plane rejicit **Pallas** [1]), qui multa cadavera explorans sectione

1) Cf. **Pallas**, réflexions sur l'intermittence etc.

hepar semper, ut contendit, invenit intactum. Tractus intestinorum a norma haud discedit. Maxime insignes degenerationes conspicimus in liene, quas anomalias, tum membranarum, tum parenchymatis, accuratius infra notabimus.

Diagnosis.

Hydrops lienosus nonnullis in casibus difficillime dignoscitur. Affectiones sympathicae, tam numerosae, aegritudinem quam maxime occultam reddunt, ut omnium symptomatum accuratissima opus sit epicrisi, si diagnosin veram eruere velis. Similes aegritudines, quibuscum saepissime confundi potest, jam afferam:

1) Hydrops, hepatis morbis productus, in quo signa hepatica nunquam deesse solent. Color faciei flavus, sedes albescentes, alvus tarda alternat cum cita, aegrotus fere semper lateri sinistro incumbit atque alia. Hydrops ipse a planta pedis incipit neque tardos facit progressus. Primo tempore, quo plerumque ascites aut faciei oedema apparet nullo vexatur aegrotus dolore, at, cum hydrops ad certum quendam gradum jam pervenerit, utrumque latus dolet.

2) Hydrops, renum morbis provocatus: subito oedema faciei et pedum aut ascites adest, oedema et evanescit et denuo intrat nonnunquam secretionibus cutis et renum adauctis aut diminutis, quae secretiones interdum sibi invicem respondent, interdum vero nullam ostendunt vim mutuam atque alternam. Ultimum accedit oedema pulmonum. Praeterea urina pallide citrina aut flavescens, initio valde copiosa, sub finem parca, multum albuminis continet, ita ut leni tantum caloris gradu coagulet. Adsunt insuper sensus gravedinis ac dolor in

regione lumbali, cutis sicca atque ardens, alvi obstructio, cephalea, pulsus durus ac plenus.

3) Hydrops, quem cordis aut praecipue ejus valvularum morbi secum ducunt, in pedibus quoque incipit, at intumescentia non tam celeriter atque extense altius tendit, quam in hydrope lienoso, ita ut in cordis morbis ex effusionis gradu dijudicare liceat, utrum lien simul sit affectus, nec ne. Ascites hic semper antecedit hydrothoracem, raro perfectum adest hydropericardium. Praeterea pulsus debilis, parvus irregularis atque intermittens; dyspnoea ac palpitationes semper adsunt; aegroti dextro plerumque incumbunt lateri aut partem corporis superiorem tenent pronam; labia livida ac frigida; urina haud coit, sed ebulliens levem tantum spumam reddit; extremitates frigent; stethoscopo tandem invenis signa pathognomonica morbi cujusdam aut cordis aut ejus valvularum. Hydrops hic aetate quidem provectiore occurrit, sed magis propria est aetati senili.

Aetiologia.

Hydrops lienosus rarissime tantum aetatem puerilem ac juvenilem aggreditur, sed magis aetati provectiori est propria. Homines, qui vitam agunt sedentariam, facie flavida pallidaque instructi, morosi semper et melancholici, aut maximis vexati curis, praeterea qui turbationibus haemorhoidum aut mensium laborant et qui parentes habuerunt, haemorhoidibus vexatos, ad lienis morbos maxime vergunt eaque de causa disponuntur ad hydropen lienosum. Nonnullis in regionibus crebrius existit, praecipue in quibus febres intermittentes endemicae observantur, sicuti in regionibus paludosis aut

iis, quae saepissime exponuntur inundationibus fluminum, uti in Hollandia.

Non raro etiam hydrops lienosus unacum febribus intermittentibus epidemicus aestatibus calidis et autumnis, quibus et hominibus et animalibus aqua deerat bona, aut quibus ob potus frigidos vel tempestatem mutabilem, noctibus scilicet frigidis, diebus vero calidis, homines refrigerio facillime expositi sunt.

Permulti ac varii quidem, sunt lienis morbi: ἡ δὲ κεφαλὴ καὶ ὁ σπλὴν μάλιστα ἐπίνοσα ἐστιν, jam Hippocrates dicit in libro περὶ νούσων c. XIV. ed. v. Linden vol. II. p. 121 at cum non omnes hydrops sequi solet, eos singulos, quibus hydropem produci certe constat, hic afferam.

I. Inflammatio.

„*Affectionen der linken Seite,* dicit Heusingerus [1]), *sind bei Splenitis so häufig und characteristisch, dass sie in den ersten Perioden der Krankheit ein sehr zu beachtendes Zeichen abgeben: so schwillt, wenn Anasarka entsteht, gewöhnlich die linke Seite früher und stärker, als wie die rechte an;* et: *Wasseransammlungen gesellen sich so häufig und oft so schnell zu Milzentzündungen, dass wir sie eher als ein Symptom, als wie als eine Komplication derselben betrachten müssen.*“

Grottanelli, cui uberrima data erat occasio observandi morbosas lienis affectiones, hisce utitur verbis [2]): Longa ex observatione mihi constat, urinas, quae mera-

1) Cf. ejus *Betrachtungen und Erfahrungen über die Entzündungen und Vergrösserungen der Milz. Eisenach* 1820. *pag.* 95 *et* 111.

2) Cf. ejus l. c. pag. 15.

ces per morbi decursum apparent, absque nubecula scilicet et absque subsidentia alba pessimum dedisse praesagium, sive mors ultimum morbi fuit, sive abcessus visceris, durities aut hydrops splenitidem subsecuti sunt, »et (pag. 81): hydrops utrique, et acutae et chronicae splenitidi, interdum supervenit; et p. 121: humores, ex inflammata lienis membrana emissi aut ex reserato tuberculo manantes in ventris cavitate delapsi non semper viam sternunt asciti, neque cum ab inhalantibus vasis iterum absorbeantur, illico sanitas redit; quin immo nisi ex integro per urinas aut per aliam viam e corpore pellantur, inferiorem corporis partem aggrediuntur: hinc oedema etc.«

Hydrops hic, qui subsequi solet inflammationem membranae lienis, plerumque arte vincitur, quod praeter alios casus quoque historia quarta et quinta aegrotorum, quorum mentionem fecit Grottanelli, edocent; at illa hydropica affectio, quam parenchymatis inflammatio producit, irridet haud raro scientiam medicorum, nam *„bei weitem am gewöhnlichsten,* ut Heusingerus [1]) contendit, *wo nicht immer, entstehen ödematöse Anschwellungen, anfangs vorzüglich der linken Seite, nach und nach allgemeine Hautwassersucht; alle Höhlen, aber am frühesten, wie es scheint, der Herzbeutel, füllen sich mit Serum und der Kranke stirbt an Wassersucht.“*

Praestans hic medicus casum hujusmodi exitus infausti eximium nobis refert: Aegrotus quidam nil aliud, nisi pedum tumorem questus est, quorum sinister, ut accurata edocuit exploratio, magis ac plures jam pollices

---

1) Cf. l. c. pag. 137 et seq.

supra malleolos attingeret; apparuit quoque haud raro oedema faciei. Intumescentia extremitatum inferiorum in dies magis magisque increvit, et paucis septimanis praeterlapsis aderat anarsarca totius corporis; abdomen intumescebat et digito percutienti praebebat sensum fluctuationis neque minus aderant signa quam maxime perspicua exsudationis in cavitates pleurae ac pericardii. Mors tandem finivit molestam hanc vitam. Sectione instituta corporis deformiter valde supra modum tumefacti cavitates pectoris minorem fluidi quantitatem continebant, quam exspectatum erat; pericardium unciis sex et cavum abdominis ingenti seri copia erat impletum. Omnia viscera abdominalia haud a norma discedebant, liene excepto, qui aspectum quidem haud abnormem, tactui autem duritiem quandam obtulit et, incisione facta, se corpusculis albescentibus quasi confertum ostendit.

II. Obstructio.

Gravissimae febrium intermittentium sequelae, tum propter earum frequentiam, tum propter turbationes, quas organismo afferunt, sunt organorum abdominalium emphraxes seu obstructiones (*Fieberkuchen*), quae sedem habere possunt, in omnibus fere visceribus, quae haematopoesi provident, in nullo tamen frequentius inveniuntur, quam in liene. Turbant illae affectiones praeprimis digestionem et sanguinis in systemate portarum circuitum, quum splen propter magnitudinem saepe enormem situm plane alienum accipiat, partes vicinas comprimat eorumque functiones coerceat. Frequentissimi etiam in hac splenis obstructione ponenda est causa mali admodum molesti atque pertinacis, febrem inter-

mittentem saepius consequentis, nempe hydropis. Qui unquam illas regiones permigravit, ubi febris intermittens endemice grassatur, certe non potuit non animadvertere numerum miserorum, qui tumida facie tumidisque extremitatibus vestigia morbi praegressi ac praesentis adhuc prae se ferunt.

Hanc hydropicam affectionem, lienis obstructione productam, observarunt plurimi medici, inter alios cl. Pemberton [1]) et Blackall [2]), eorumque iudicium de sanitate hujus aegritudinis haud valde differt. »Asciten per inveteratam lienis obstructionem obortam raro curationem admittere" contendit Grottanelli [3]); quaeque Pemberton [4]) hac de re disserit, sunt: *„Bisweilen bleibt sie* (sc. splen) *anhaltend vergrössert, es magert der Körper in hohem Grade ab und es endet zuletzt das Uebel mit Wassersucht; kommt zu dieser Anschwellung Fluctuation hinzu, so ist der Fall fast hoffnungslos."*

Etsi igitur tum ex judicio horum medicorum, tum ex testimonio variorum casuum, quos Grottanelli retulit, fere semper exspectandus est funestus exitus, tamen non desunt casus, qui fauste feliciterque finiti sunt. Ita Cartoni [5]) refert se sanasse hominem obstructione lienis laborantem cum ascitide methodo cl. Vetere; et Young [6]),

1) Cf. ej. *prakt. Abhandlungen über verschied. Krankheiten der Unterleibsorgane übers. v. C. A. M. Bresler. Bonn* 1836.

2) Cf. ej. *Bemerkungen über d. Wesen u. d. Heilung der Wassersuchten. übers. v. J. Radius. Leipzig* 1821.

3) Cf. l. c. pag. 187.

4) Cf. l. c. pag. 47 u. 49.

5) Cf. Grottanelli l. c. pag. 63.

6) Cf. Lettre from Mr. Young relating his own case, in which an enlarged spleen was cured by the application of the actual Cautery. Duncan Annals of medicin for the year 1801.

qui inveterata lienis obstructione una cum oedemate extremitatum inferiorum scroti lumborumque affectus, sanatus est ab Indo quodam ferro candente adhibito.

Quem gradum hydrops, praecipue ascites ex hoc lienis pathemate interdum assequi potest, facile cognosces ex historia, quam Grottanelli enarrat hisce verbis: [1]) „Antoniam Danielli, quae decimo quinto aetatis suae anno splenitica primum, chlorotica inde effecta est, tandem lienis obstructione cum tanta ascite laborantem reperi, ut in abdomine, contenta retinere non valente, hernia umbilicalis, nec parva quidem oriretur.“

III. *Suppuratio.*

Inter omnes lienis morbos, qui hydropicas affectiones provocare solent, est suppuratio unica, quam hydrops sequitur rarissime, uti ex paucis tantum observationibus, quas habemus, elucet. Distinguendae praeterea sunt

a) suppuratio membranae, cuius unicum cum hydrope conjunctum casum nobis Grottanelli [2]) in historia Elis. Mazzi, puellae decem annorum retulit. Tumebat ei abdomen, et e tumoris forma, corporis habitu vultusque lineamentis medicus ascitem existimavit. Interim comperit lienem ex hypochondrio sinistro in dextrum se protendisse et umbilici regionem magnitudine praetergressum fore, quam maxime quoque intus dolere etiam quiescente aegrota. Decima quarta die suffocationis sensu brevem explevit aetatem. Sectione instituta atque abdominis musculis diligentissimi separatis ex peritonaei incissione serosus et limpidus humor tanta copia effluit, ut duarum

1) Cf. ej. l. c. pag. 117.
2) Cf. ej. l. c. pag. 74.

librarum pondus facile superaret. Humor in pelvi contentus concretus ad instar gelatinae et in ima pelvi ichorosus, illi similis, quem alias ex lienis externa suppuratione manare compererat. Hujusmodi humore ipsam splenis superficiem obtectam conspexit atque lienem ipsum cum intestino colon, coeco ventriculi fundo et peritonaeo, quod vertebrali columnae respondet. Lien, cuius longitudo fuit digitorum transversorum novem et maxima latitudo quinque, apparuit suppuratus in antica et inferiori parte, magno cum vulnere et parenchymatis destructio. Integra visceris pars obducta erat tenacissimo glutine vel pseudomembrana albi coloris ubi tenuis, flavi ubi crassa. Diductis thoracis costis utrosque pulmones medica lymphae quantitate circumdatos reperit.

b) suppuratio totius parenchymatis. Hujusmodi casum enarrat Heusingerus [1]) historia adolescentis, qui, obstinace febri intermittente post octodecim menses sanatus, diro abdominis dolore, febri lentescente, spiritus ducendi difficultate, macie atque extremitatum oedemate magnopere cruciabatur quique tantum abdominis tumorem, perspicuam ostendentem fluctuationem, secum ducebat, ut bis institueretur paracenthesis, qua autem nunquam non aqua, at ingens puris copia detrahebatur. Aegroto demortuo sectio dedit lienis loco saccum membranaceum qui pure impletus a medico punctus erat. Cavum abdominis haud magnam seri copiam continebat.

Fricke [2]) etiam Germanum quendam, viginti sex

---

1) Cf. ej. l. c. pag. 119.

2) Cf. ej. *Zweiter Bericht über d. Reise nach Holland etc. zur Erforschung der im Sommer und Herbste dort geherrschten Krankheiten. Hamburg* 1827 *p.* 6.

annos natum, hydrope universali periri vidit, cuius lien suppuratione plane destructus erat.

c) suppuratio partialis s. abcessus. Ex Heusingero [1]) hunc rarum lienis morbum observavit Jacquinelle in aegroto quodam, cuius extremitas inferior dextra valde emaciata, sinistra sero intumescens, neque minus oedemate tenebantur abdominis integumenta, eiusque cavum, morte ruptionem abscessus in intestinum colon secuta, ingenti fluidi quantitate impletum erat.

IV. Induratio.

Hac de lienis morbosa affectione, cum ab ulceribus tractus intestinorum eam dignoscere studet, Herm. Albers [2]) haecce disserit: „*Unter allen genannten Krankheiten ist diese am schwierigsten von Darmkanalgeschwüren zu unterscheiden. Es pflegt nämlich der Fall zu sein, dass wenn Milzverhärtungen kürzere oder längere Zeit bestanden haben, sich Schmerz an verschiedenen Stellen des Unterleibs einstellt, der sich wie ein entzündlicher verhält. Zu gleicher Zeit stellt sich Durchfall mit Stuhlzwang, ja selbst mit Krampfzufällen in den dünnen und dicken Gedärmen ein. Der Kranke erbricht einen dicken, zähen Schleim, selbst Blutpunkte sind in diesen Massen enthalten; die Zunge ist belegt und eine ausserordentlich grosse Uebelkeit vorhanden; der Kranke magert bis zum höchsten Grade ab, die Haut befällt beständig eine blasse Farbe, die Glieder schwellen an, der Bauch schwillt auf, und zeigt Fluktuation.*“

Induratus autem lien rarissime solus et unicus hydropis fons observatur, sed praeter indurationem lien alio

1) Cf. ej. l. c. p. 108 s. Iournal de medic. Vol. 88. p. 360 Sept. 1791.

2) Cf. ej. *Die Darmgeschwüre. Leipzig* 1831.

adhuc morbo eodem fere tempore laborat, qui morbi se invicem adjuvantes molestam hydropicam affectionem producunt. Plerumque est hypertrophia, quae complicationem iniit cum induratione, ut plurima nos edocent exempla, inter alia praecipue ille casus, quos Jos. ab. Aix [1]) retulit. Primus horum aegrotorum lienem valde durum ac tenacem praebuit. Cornu splenis posterius usque ad quintam costam ascendebat, cornu anterius fere duos pollices ad octavam et nonam costam prominens fundum ventriculi, locum normalem occupantis, circumdabat; pondus lienis fere duarum librarum. Vexabatur aegrotus oedemate pedum, scroti; aderant insuper hydrops abdominis, pericardii et utriusque cavi pectoris.

Lien alterius aegroti, cui per morbi tempus tumefacti erant pedes, collum atque abdomen, cujusque cavitates tum thoracis, tum abdominis seroso fluido impletae erant, valde fuit amplificatus, durus et quasi ossificatus in pluribus partibus dissectis.

Tertius casus, qui historiam amplectitur infantis, oedemate pedum palpebrarumque superiorum atque ascitide pervalde vexati, lienem secanti offert qui a costa octava usque ad ramum horizontalem ossis pubis descendit in latere externo partis superioris incisuram stellatam habuit, et in latere interno et inferiori colorem praebuit lividum. Membrana serosa incrassata; textura lienis firma, parum sanguinis continens; pondus lienis erat librae unius.

Interdum hydrops indurationi lienis atrophia ejusdem visceris complicatae originem debet. Hujusmodi casus cum sint perrari, liceat mihi hic unum paucis verbis

---

1) Cf. ej. dissert: Observata quaedam de hypertrophia lienis cum induratione. Bonn 1831.

enarrare, cujus observandi occasio mihi data erat in clinico nostro.

Jos. K....., Bonnensis, sexaginta septem annos natus nullis vexatus est morbis primis aetatis annis, sed usque ad duodevicesimum annum optima valetudine gavisus est. Miles factus pluries scabiem perpessus et per duos fere menses lecto detentus est febri nervosa. Annis sequentibus saepe dolore per extremitates superiores atque inferiores circumvagante laborabat, qui dolor turbido coelo provocatus omni sine artis auxilio, regimine tantum apto adhibito, evanuit. A quinquagesimo usque ad sexagesimum septimum aetatis annum ter aut quater pneumonia correptus est aegrotus, quae pulmonum affectio semper paucis septimanis arte devicta est. Die vicesimo quinto mensis Maii anni praeterlapsi auxilium in clinico petiit: Extremitates inferiores, praecipue sinistra oedemate affectae, abdomen tumidum, tensum et fluctuans; accurata viscerum abdominalium exploratio ob magnam fluidi jamjam exsudati copiam haud erat instituenda. Aderant praeterea difficultas spiritus ducendi, certis diei temporibus valde adaucta, sputum mucosum, crassum et tenax, sonus in utroque latere fuscus, respiratio per totum pectus debilis, urina parca, haud coagulans calore; nulla alvi obstructio. Dignoscitur: oedema pulmonem cum ascite. Receptum est Ammon. muriatic. depurat. in infuso herbae Digitalis; pectori vesicatorium impositum, extremitates fasciis involvebantur. Per quatuordecim dies hisce sine ullo aegroti levamine pergebatur, quin immo res paullatim ruebat in pejus. Scrotum oedematose intumescit, et sputum, antea albidum, induit colorem nigricantem, ita ut, cum vires neque conciderent neque orietur febris hectica, melanoses pulmonum suspicareris. Nil mutatum

est in medicaminibus, nil in consilio aegroti usque ad diem vicesimum septimum mensis Junii, quo Liquor Ammon. succinic, bihorio guttas decem praescriptus est, at sine eventu. Postero die mors secuta.

Sectio: Cadaver, viginti horas post mortem, cum in temperatura + XV graduum R. dorso jacuisset, apertum est. Magna corporis macies; pedes albide splendentes et tumescentes.

Cavum cranii: Ventriculi laterales duabus ʒ fluidi serosi impleti; substantia cerebri normalis.

Cavum thoracis: Pulmo sinister filamentis cum diaphragmate et pleura costali concretus; in margine inferiori plures aderant bullae cum pulmonis vesiculis cohaerentes. Substantiae pulmonis, ex qua dissecta fluidum spumas agens profluit, inserta sunt corpuscula nigra et dura, lentis magnitudine. In pulmone dextro, qui ceterum a sinistro haud discrepat, corpuscula illa non superant magnitudinem ovi columbini. Cor normale, pericardium ℥ IV fluidi serosi continens.

Cavum abdominis impletum erat aquae quantitate librarum quatuor. Viscera abdominalia sana, excepto liene, qui duos pollices longus, duos latus ac dimidium pollicis erat altus. Substantia lienis tactui eximiam offerebat duritiem.

V. Mollities.

Inter omnes homines spleniticos nulli certe reperiuntur, qui facilius frequentiusve hydrope capiuntur et corripiuntur, quam qui lienis mollitie laborant. Est enim frequentissima hydropicarum affectionum origo, quae affectiones modo oedema pedum, modo anasarca aut hydrops universalis, aut ascites, praecipue apud homines aetate iam provectiores aut dyscrasia quadam laborantes appa-

rent et fere semper funeste exitu finiuntur. Celeberrimus medicus **Fricke** fere semper ac constanter hanc organicam lienis destructionem in epidemia, quae anno MDCCCXXVI aestate atque autumno in Hollandia grassabatur,[1]) observabat: *Die, bei den an den Nachkrankheiten Verstorbenen angestellten Leichenöffnungen,* dicit ille, *ergaben ausserordentlich häufig, fast immer, organische Veränderungen der Milz, die sich oft durch Pseudomembranen mit dem Bauchfell verbunden, in einem vergrösserten und dabei aufgelockerten, oft ganz aufgelösten Zustande befand und gewöhnlich mit einer dünnen chokoladefarbenen Flüssigkeit durchaus angefüllt war. Das Gehirn war häufig mit serösen Flüssigkeiten überfüllt, die man auch in den Ventrikeln in grosser Menge antraf. Ebenso häufig fand Erguss von Wasser in die Brust- und Bauchhöhle Statt, wobei oft eine allgemeine Aufgelösstheit des Blutes sich zeigte.* Rarius illam destructionem **I. G. Mulder** et **M. A. Rölants**, cum vis morbi illius epidemici maxima jam ex parte fracta erat, invenerunt sectionibus institutis; referunt enim:[2]) *Erguss von Wasser in den Ventrikeln des Gehirns, wassersüchtige Auftreibung der Arachnoidea etc. kommt noch sehr häufig vor. Weniger konstant als früher ist indessen die* emollescentia lienis, *namentlich in den letzten Wochen, wo man die Milz bei manchen Leichen wohl nicht so erweicht und aufgelöst fand, wie dies die früheren Sektionen fast durchgängig zeigten.* Intrat autem hydrops ex eorundem medicorum observationibus sero, cum ad certum quemdam gradum provecta

---

1) Cf. ejusdem *Erster Bericht* etc. 1826.

2) Cf. eorum libellum libro **Fricke** additum: Bydrag tot de Geschiedeniss der thans in ons Vaderland herrschenden Ziekte p. 29.

est lienis mollities: [1]) *Wie bekannt,* referunt illi, *gehören zu diesen Folgekrankheiten namentlich die organischen Veränderungen mehrerer zur animalischen Oeconomie nothwendigen Organe, vorzugsweise der Milz, wodurch besonders zu spät sich entwickelnden, nur zu oft unheilbaren Wassersuchten und andern Kachexien Veranlassung gegeben wird;* at semel demum ortus magna cum celeritate atque vehementi cum impetu contra aegrotorum valetudinem altius tendit, ut G. Backes in eam epidemia, [2]) cum ejus vis decresente ardore atque ariditate paullatim diminueretur, observavit.

Quodsi haud parvam hac lienis affectione exorti hydropis seriem casuum, quos Grottanelli, Heusingerus, Bailly, Backes et praecipue Fricke retulerunt, inter se comparemus invicem, magno sine opere invenimus hydropem inter quinque casus semel tantum productum esse mera lienis mollitie, quater vero emollescentia, coniuncta cum alia eiusdem visceris morbosa affectione. Gradus hydropicae affectionis non semper erant iidem in hisce casibus, sed modo omnes corporis cavitates majori aut minori seri copia impletae erant, modo hoc aut illud tantum cavum hydrope laboravit. Ita invenit Fricke, cui hydropis observationes ex mera splenis mollitie debemus, ex hoc fonte ortum semel hydropem universalem; [3]) bis hydropem arachnoidea, et ventriculorum cerebri cum majori aut minori ascitide; [4]) in uno casu thoracis, abdominis, pericardii hydropem

1) Cf. l. c. p. 28.

2) Cf. ejus lib. Epidemia, quae anno 1826 Gröningam afflixit, in brevi conspectu posita. Gröningen 1826, §. 7.

3) Cf. ejus *Erster Bericht* p. 61.

4) Cf. ibidem p. 57 et 58.

atque oedema pedum; [1]) in altero aderat hydrothorax utriusque lateris cum hydropericardio valde exculto. [2])

Longe superatur, ut antea iam commemoratum, parvus hic numerus hydropicae affectionis mera lienis emolescentia productae ea casuum serie, qui hydropem ex lienis mollitie cum alio ejusdem organi morbo conjuncta ortum esse ostendunt. Primum locum sine dubio inter has lienis morborum complicationes ea, quae mollitie atque hypertrophia efficitur et saepissime hydropem secum ducit. Lien haud raro ex Fricke et Bakkes observationibus normalem magnitudinem duplo vel triplo superabat. Variae hydropis formae ex hac complicatione prodire possunt. Uno in casu observavit Bailly [3]) „une râte excessivement volumineuse; la membrane extérieure était decollée et tachée de blanc et de brun; elle se détachait facilement de son parenchyme; les celluses de la râte contenaient un sang noir, dense et se déchiraient facillement sous les doigts“, qui ita degeneratus lien tantam asciten produxerat, ut paracenthesis instituaretur, quo ex abdominis vulnere conspiciebatur „du 1er octobre jusqu'au 14me un èculement d'eau considerable, qui sortait du ventre“ et morte decem post dies secuta ac sectione facta aderat adhuc „peu d'eau dans l'abdomen.

In altero casu, [4]) à l'ouverture on trouva de la serosité entre la crâne et ses membranes: celles-ci étant incisées, on vit le même liquide sur le cerveau et dans le quatrième ventricule; dans l'abdomen: la substance

1) Cf. l. c. p. 59.
2) Cf. l. c. p. 59.
3) Cf. C. M. Bailly traité anatomico-pathologique des fièvres intermettentes simples et pernicieuses. Paris 1825. p. 221.
4) Cf. Bailly l. c. p. 222.

du foie était saine, ainsi que les autres viscères abdominaux, à l'exception de la râte, qui était plutôt un grand sac rempli d'une bouillie très noir.«

Bakkes[1]) in cadavere puellae, duodecim annorum, his lienis morbis demortuae invenit hydrothoracem lateris sinistri, et Heusingerus[2]) ex observationibus medicis Freiburgae a Jos. Boeder 1762 editis enarrat casum, quo hydrothorax utrumque latus obtinuit.

Fricke bis vidit coniunctam anasarcam atque asciten, quibus in uno aegroto adhuc accessit hydrothorax lateris sinistri,[3]) in altero et lateris sinistri et dextri atque hydropericardium,[4]) quae hydropis formae in tribus aliis casibus hydrope arachnoidea et ventriculorum cerebri augebantur.[5])

Quamvis hac de complicatione satis iam dixisse me puto, attamen casum in clinico nostro observatum, qui ob exitum, quo finitus est, ut enarretur maxime dignus videtur, referam.

Henricus W...., quatuor et triginta annos natus parentes et consanguineos duos plures ante annos febri nervosa, tunc tempore grassante, amisit; ipse eadem febre captus longum post temporis spatium summo artis auxilio convaluit. Frater aegroti, aetate provectior, valde haemorrhoidibus vexatur. In pueritia infirma semper aegrotus valetudine fruitus est, quod ex perturbata concoctione deducit, cum illo tempore fere semper, ut contendit, nullo ciborum desiderio, sed intumescentia et dolore abdominis, alvi obstructione cum diarrhoea persaepe

---

1) Cf. ejus libel. c. p. 55.
2) Cf. éjus l. c. p. 113.
3) Cf. ejus l. c. p. 61.
4) Cf. id. l. p. 59.
5) Cf. id. l. p. 62 et 63.

alternante et vermibus vexabatur. A pubertatis anno, quo molesta ista valetudinis conditio sponte evanuit, firmus ac sanus fuit, usque ad trigesimum aetatis annum, quo ardore ventriculi et soda laborare incepit, quibus paulo post sensus tensionis et compressionis, at sine omni dolore accessit, simulque apparuit alvi obstructio. Conditio aegroti laxantibus melior facta est, praecipue cum magna sanguinis copia una cum faecibus ejiceretur. Sedibus hanc qualitatem sensim sensimque amittentibus molestiae illae redierc et refrigerato aliquando aegroto augebantur difficultate spiritus ducendi et dolore trahente, qui in hypochondrio sinistro incipiens per latus pectoris sinistrum usque ad humerun se extendit; tussis haud aderat. Venaesectione, cucurbitulis et laxantibus vehementia mali fracta, at minime devicta; restabant dolorifica difficultas spiritus ducendi, magna abdominis tensio, ruptus acide frequentes atque sedes durae nigrae, quasi combustae, ut aeger retulit. Haec neglecta sunt. Post annos paucos, decidens in clunes, os crucis fregit. Qua fractura sanata iterum, cum curriculo insilire vellet, latere pectoris sinistro incidit ligno, ex quo casu statim dolor atque intumescentia eiusdem hypochondrii apparuere. Medicus minime arcessitus, sed aegrotus se nihilo minus tempestati exposuit et spirituosis, ut operarius consueverat, se dedit. Dolor pungens sub sinistris costis spuriis, quem paucos post dies sensus caloris et formicationis secutus est; nullum ciborum desiderium, nausea et vomitus, quo ater sanguis mensura una plus ejectus est. Medicus arcessitus haec invenit: Abdomen intumescens hypochondrium sinistrum versus; sonus percussionis ibi, sursum usque ad regionem lateralem mediam, deorsum fere usque ad regionem inguinalem, aeque longe ad re-

gionem epigastricam, fuscus; in hoc spatio circumscripto tumor mollis, uno tantum in loco, aliquid ad regionem mesogastricam versus, et profunde dolorificus. Sensus tensionis vomitu cruento aliquid diminutus; alvus tenaciter obstructa: cubare in latere dextro aeger nequit, qui difficultatem spiritus ducendi queritur, etsi nil abnorme invenitur cylindro et percussione in pulmonibus; notabilis erat pulsus cordis frequens atque irregularis et normali in loco minime, sed in medio sterno auditur. Facies lurida; vultus oculi profunde jacentis prodit animum pavidum atque abjectum, aeque quaestiones et dicta eum indicant; sitis magna, taedium ciborum, ruptus acidi, vertigo sine cephalgia, somnus inquietus, vires exhaustae. Lienis morbus dignotus. Datum est Acid. Halleri, quod vero postero die cum infuso-decocto Cort. Chinae cum Acid. sulphurico purato commutatum est. Sedes per clysmata aut oleum Ricini prolicitae. Vespertino tempore tertii diei, cum situm mutaret, aeger subito vertigine et nausea captus est. Ter sequebatur vomitus sanguinis atri et diluti, cuius copia facile pondus quatuor librarum adaequavit. Dimidium horae post aegrotus haud sui conscius; facies pallida et frigido sudore obtecta; respiratio stertorosa; pulsus cordis vix, sed in normali loco nunc audiendus; abdomen collapsum et tumor non magis in eo sentiendus. Mors paullo post secuta.

Sectio: Cadaver, cum per viginti quatuor horas in temperatura octodecim graduum R. iacuisset, apertum est. Membranae cerebri erant pallidae et vasa tantum majora piae matris sanguine pallide rubro impleta; substantia cerebri pallida et norma aliquid mollior; ventriculi laterales continebant circiter duas drachmas seri.

Sacci pleurae impleti erant fluido limpido pondere duarum librarum. Pulmones normales. Tres unciae fluidi in pericardii sacco repertae sunt, cor multo pingui circumdatum. In abdomine: hepar pallidum, ceterum a norma haud discrepans. Lien cum rene sinistro firmiter concretus, aeque intime cum ea parte fundi ventriculi, quae maxime sinistrorsum tendit, in hoc loco, qui magnitudinem thaleri aequavit, nullum ventriculi membranarum vestigium, sed foramen sanguineo-fusca, pultacea et molli lienis substantia immediate erat clausum; externe lien abnorme flaccidus, supra totam superficiem plicatus, colorem violaceum praebens oculis; si tangis, mollis, si premis, crepitans; longus erat pollices octo et latus quinque. Ventriculus norma aliquid maior et aquoso sanguine impletus; membrana eius mucosa rubefacta et emollita, at rubedo facile detergenda. Vasa brevia valde amplificata, at nusquam rupta. Cetera abdominis viscera haud a norma discedunt.

Supersunt adhuc hydropis casus, in quibus lien abnorme mollefactus alium adhuc parenchymatis aut membranae morbum sectantibus ostendit.

Unum casum observavit Fricke,[1]) in quo ex liene valde atrophico et mollefacto oedema extremitatum inferiorum, hydrops arachnoideae et ventriculorum cerebri ortus erat.

Frequentius inveniuntur degenerationes membranae lienis propriae cum emollescentia ejusdem visceris coniunctae. Modo haec membrana tantum eximie est inincrassata, ut Fricke[2]) observavit casu, quo in ade-

---

1) Cf. ejus l. c. p. 60.

2) Cf. ejus lib. c. p. 56.

rant oedema inferiorum extremitatum, hydrops ventriculorum cerebri unciorum quatuor, atque hydrothorax; modo cartilagineam indolem ostendit, quod ter ab eodem medico animadversum est. In primo horum casuum excultus erat hydrops universalis atque hydropericardium,[1]) atque in ceteris conspiciebatur hydrops arachnoideae et thoracis.[2])

Grottanelli vidit aegrotam, apud quam in vita aderat oedema in utroque pede; tumens erat abdomen, facies et thorax intumescebant, ita ut aegrota anasarcatica facile judicaretur. Obiit aegra. Subcutaneum adipem in cadaveris autopsia tenuissimo latice repletum undequoque reperit, utrumque pulmonum aqua circumdatum et thoracis cavitatem naturali minorem. Praecisa abdominis carne usque ad peritoneum suppositum aquam tenuem videre licuit, quam inde ex dictae membranae incisione, ad pondus circiter septem librarum emanasse iudicavit. Lien, cuius pondus duo et triginta unciarum fuit, forma et colore a naturali haud abesse, dum in situ erat, videbatur. In superiori autem extremitate lardaceam ferme praeferebat naturam ob crassam et cartilagineam parietem, quae cuidam abcessui supererat, pultaceam materiam, nondum a reliqua parenchymatis parte satis sejunctam, nonnullasque hydatides continenti, qua ejecta materia ovum gallinaceum cavitas admittere potuisset. Ante magnum lienem duo reperiebantur lienunculi, quorum unus ovi passeris, alter phaseoli figuram atque magnitudinem praeferebant.[3])

Fricke [4]) invenit apud aegrotum, qui ascitide

---

1) Cf. ibidem p. 53.

2) Cf. ibidem p. 60.

3) Cf. Grottanelli l. c. hist. XV.

4) Cf. ejus l. c. *2ter Bericht* p. 7.

erat demortuus, lienem quasi circumdatum pseudomembranis iisque concretum intestinis, qui lien, donec in situ erat, externe haud a norma discedere videbatur, at ex ligamentis suis evulsus ostendit substantiam fuscam, permollem, pultaceam, quae caldae cacaoticae fuit quam maxime similis.

VI. *Hypertrophia.*

Pluribus jam ex casibus, quos paulo antea communicavi, facile quisque cognovit, hypertrophiam fuisse adjutricem tum indurationis tum mollitiei lienis in hydrope producendo aut contra indurationem et emollescentiam auxilium tulisse hypertrophiae. Cuinam autem harum lienis affectionum maxima, cuinam minima hydropis pars adiudicanda sit, id destinare ac dijudicare ego neque audeo, neque possum. Unaquaeque enim harum lienis a normali conditione aberrationum per se hydropicam corporis affectionem producere valet, quod de induratione atque emollescentia pluribus edocti exemplis certum habemus. Restat igitur ut de hypertrophia similia quaedam exempla afferam.

Huiusmodi casum retulit de la Motte[1]). Post diuturnam intermittentem febrem hydrope perierat homo, in cuius cadavere lienem mole insigniter auctum reperit, diaphragmatis partem sinistram sursum tendentem, ita ut parvum tantum spatium inveniretur inter axillam et ipsam lienis summitatem.

Huic certe adnumerandus est lien pondere trium librarum ac duarum uncearum, qui ex Pemberton[2]) vi-

---

1) Cf. ejus traité complete de chirurg. Tom. II.

2) Cf. ejus l. c. p. 47.

cinorum viscerum compressione ascitidem ac inde mortem produxerat.

Heusingerus ex recherches sur la ràte par L. J. P. Assolant[1]) Paris an X, communicat casum lienis, cuius diameter verticalis pollices tredecim metiebatar, transversus septem quique sex libras et dimidium pondo valuit. Aderat in aegroto oedema extremitatum inferiarum, seroti, abdominis integumentorum et hydrothorax lateris sinistri.

Schmucker, celeberrimus chirurgus, confitetur,[2]) a se in aegroto ascitidis causa paracentesin bis institutam, ad semper vulneratum esse lienem, qui, ut postea sectio edocuit, longitudine altitudineque quam maxime normam superans se usque ad pelvin extendit. Ascites octodecim mensurarum.

Idem medicus in cadavere alterius aegroti, ex cuius abdomine terna punctione plus, quam quatuordecim seri mensurae, emanavit, lienem invenit mole insigniter adaucta usque ad pelvim extensum, qui quatuor et dimidium libras pondo valebat.[3])

Sufficiant haec pauca exempla, cum ex iis satis perspicue elucet, mera lienis hypertrophia ortum esse hydropem.

VII. Atrophia.

Etsi nullus adhuc casus a medicis relatus est, in quo hydrops soli atrophico lieni originem suam debuit, attamen haud supervidendum est, atrophiam sine dubio participem fuisse hydropis provocati pluribus in casibus,

1) Cf. lib. indic. p. 107.

2) Cf. ejus *chirurgische Wahrnehmungen. Heidelberg 1784. 2ter Theil* p. *123 et 124.*

3) Cf. ejus l. c. *2ter Theil* p. 125.

praecipue in eo, quem antea, cum de induratione agerem, pagina 22. retuli.

VIII. Tubercula.

Haud raro in cadaveribus hominum, qui hydrope mortem obeunt, nisi iste cordis, hepatis, renum aut alio lienis morbo productus est, inveniuntur, praecipue si ex hereditate aut scrofulosi ad tuberculorum genesin homines inclinant, tubercula, quae modo per totum lienis parenchyma disparsa sunt, modo ejus tantum superficiem penetrant. Observabantur a variis medicis, ut a Fricke, Bailly atque aliis; quas vero hydropis formas iis productas invenerunt, ipsi observatores referant.

Vidit Fricke,[1]) sectione aegrotae quindecim annorum instituta, „*ein Extravasat von dunkelgelber, weisslicher Materie in der Bauchhöhle; ein ähnliches Extravasat fand sich in noch grösserer Menge im Herzbeutel und erfüllte neben den angeschwollenen und etwas entzündeten Lungen die Brusthöhle. Vor allem aber war der Zustand der Milz bemerkenswerth. Sie reichte bis an das Zwergfell; war nicht allein sehr vergrössert, sondern zeigte auch durch ihre Substanz Verhärtungen, die grösser, als die gewöhnlichen Lebertuberkeln, ihre Oberfläche durchdrangen und durch einen Rand von der innern Substanz derselben gleichsam umschrieben abgetrennt waren, welche letztere übrigens eine normale Beschaffenheit zeigte.*“

In viro, viginti quatuor annorum, fuit, ut idem refert[2]) *in der Bauchhöhle eine Menge dicker, klebriger,*

---

1) Cf. ejus l. c. *2ter Bericht 1827*. p. 5.
2) Cf. ejus l. c. *2ter Bericht* p. 8.

gelber, der Butter ähnliche Flüssigkeit angesammelt. Ausserordentlich vergrössert war die Milz, welche alle vorigen im Umfange wohl zwei Mal übertraf, an das Bauchfell und das Zwergfell durch Pseudomembranen befestigt und so hoch gelegen war, dass man schon hierdurch ihre Ausdehnung äusserlich nicht wahrnehmen konnte; ihre Substanz mässig hart, ähnlich der von Nro. 1. (est lien in proxima historia iam descriptus), *mit ähnlichen, doch grössern und härtern Tuberkeln durchwebt, welche tief in dieselbe drangen.*

In milite, cuius pedes ab initio morbi oedematose intumescere coeperant, observavit post mortem Bailly,[1]) un littre serosité dans la poitrine, dont les organes étaient d'ailleurs sains; dans l'abdomen: il y avait, dans la region hypocondriaque gauche, une vaste poche péritoniale circonscrite en dehors, en haut et postérieurement par le diaphragme, en dedans par l'estomac, en bas par une petite portion du colon et par le rein correspondant. Elle était remplie par deux littres d'une sanie semblable à de la lie de vin; la ràte en occupait le fond. Cet organe n'avait point changé de volume; mais sa surface était tuberculeuse et la partie concave offrait, près de la scissure, plusieurs trous irreguliers ulcéres d'un demi-pouce à deux pouces de diamètre, ou l'on n'apercavait plus aucune trace des vaisseux et de nerfs spleniques.

Ad Grottanelli venit foemina viginti quatuor annos nata, cui paulatim increscit abdomen; dum staret foemina abdomen tumebat reapse praegnantis ad instar, dum autem cubaret pubis explorans regionem uteri tu-

---

2) Cf. ejus l. c. p. 224.

morem reperire non potuit, quin immo obscuram fluctuationem sensit in ventris cavo. Attamen aegrota se gravidam esse contendit, quam ob rem medicus ad vaginam est conversus, ubi vero nulla signa graviditatis. Pedes paulatim intumescebant. Omnia medicamina cum nil proficerent, aegrota paulo post obiit. Cum nonnulli perseverarent eam praegnantem existimare, abdomen statim a morte incidere opus fuit, quae sectio a Grottanelli facta est. Nullus erat latex, inquit Grottanelli,[1]) inter pellem et peritoneum. Peritoneo autem vix secato, humor densus ad instar albarii erupit ad sex circiter librarum pondus. Eodem humore albescebant internae peritonei parietes et omnia ab eodem tecta viscera. Intestina simul ferme coacta in altum pepulerat humor et sibi huiusmodi fecerat cubile, quale occupare potuisset praegnans uterus; ipsum autem uterum vacuum demiserat in pelvim. Lien magnae vesicae figuram praeferens extimam membranam naturali crassiorem et eodem albicante, at magis denso, humore obtectam habebat, eius vero parenchyma supra viginti tubercula, quorum maior pars granum zeaemays aequabat, continebat concreto pure repleta. Cetera pars rubicundi coloris erat et naturalem ferme texturam servaverat. Nulla hydrothoracis vel hydropericardii aut alius morbosae affectionis nota in thorace, ni fuerit modica dosis exsudati laticis circa dextrum pulmonem.

IX. *Scirrhus.*

Finiatur series nostrarum observationum historia aegroti, qui non effigiem unius tantum morbi, sed veram quasi variorum in diversis organis morborum commixtio-

1) Cf. ej. l. c. hist. XIV.

nem nobis obtulit, ita ut dificillime dijudicandum sit, quodnam fuerit organon hydropis fons, cum omnia fere viscera haematopoeseos magis aut minus apud aegrotum nostrum morbosa affectione correpta erant. Etsi quidem nemo erit, qui certum hac de re judicium statuat, degenerationem lienis neutiquam minimum egisse in provocando hydrope mihi persuasum certo habeo.

Gabrielus U....., quadraginta septem annos natus, sartor Bonnensis, patrem, qui arthritide quam maxime plures per annos vexabatur, nonaginta tres annos iam agentem ante duos, ac matrem aeque per decem annorum seriem eodem morbo laborantem ante octodecim annos apoplexia amisit. De primis aetatis suae annis nil aegrotus referre potest, nisi se quinto anno perpessum esse variolas, quae cicatrices valde hodie adhuc perspicuas reliquerunt. Septimo aetatis anno herbae nicotianae officinam operarius frequentavit, quae vero ob exanthema, in facie ac manibus praecipue apparens et longum post tempus remediis, aegroto plane ignotis, adhibitis evanescens, ei relinquenda fuit. A nono aetatis anno abhinc per septem sequentes annos exstiterunt diversis in corporis partibus furunculi, qui paulatim in circiter novem septimanarum spatium ad magnitudinem ovi gallinacei, immo etiam pugni progressi ruperunt et sine minima valetudinis perturbatione haud modicam puris cum sanguine mixti copiam effuderunt. Duodecimo aetatis anno, cum per tres annos opificio sartoris operam navasset, domum reliquens maximam Germaniae partem permigravit, quo in itinere modo inopem, modo immoderatam vitam se coluisse enarrat.

Quindecim annos agens scabie pustulosa infectus est, quae supra totum corpus per annum et dimidium

persistens tandem sulphuris, saponis et mercurii externa pluries repetita applicatione suppressa est. Dimidium anni post iterum per paucas septimanas ea vexabatur et vigesimo aetatis anno tertia vice infectus scabiem unguento priori sanavit. Annum duodevicesimum agens sanam virginem in matrimonium duxit, quae liberis carens ex casu in cellam, nondum per duos annos coniuncta viro, subito defuncta est. Ex hoc tempori Veneri immodice se dedit. Vicesimo aetatis anno blennorhoeam urethrae perpessus est, quae per septem hebdomades induravit. Anno sequenti, cum dicta blennorhoea vix erat sanata, ex impuro coitu ulcera syphilitica et bubones deportavit, quae affectiones, multis remediis haud cedentes, tandem methodo cl. Dzondi pluries repetita devictae sunt, ex qua vero methodo per sex menses vehementi salivatione cum mercurialismo aegrotus cruciabatur. Anno aetatis vicesimo quarto iterum blennorhoea infectus usu decocti lignorum sanatus est. Ex hoc tempore nullam aliam inflectionem passus est, etsi fere singulis diebus usque ad annum quadragesimum aetatis aut meretricibus aut manutigio stupranti se dedit omni sine valetudinis aut opificii incommodo, ut contendit aegrotus. Anno quadragesimo secundo subito exstitit in brachio sinistro dolor vagus, trahens, qui mox sinistram faciei partem occupavit, modo mitis, modo tanta vehementia, ut accederent spasmi, qui cum, quominus opificio fungeretur, arcebant. Anno post genua eodem malo ita capta, ut incedere haud posset; simulque exstiterunt tumores rotundi et duri, nucis magnitudine, praesertim in articulo genu, qui sponte aut calore tantum adhibito evanuere. Interdum etiam evenit, ut pro hoc extremitatum inferiarum malo cephalea vehementissima.

intumescentia faciei, dolor trahens cum istis tumoribus in superioribus extremitatibus, angor, difficultas in spiritu ducendo, pulsatio cordis atque animi deliquium intrarent. Vesicatioria magna cruribus imposita haec omnia statim levarunt, praecipue regimine calido simul observato. Ante tres annos, cum urinam mitteret, eam haud denso radio effluere, sed ejus fluxum subito impediri animadvertit, quod vitium usque ad mortem remansit. Tumor aut dolor nunquam adfuit in regione renali. Accessere hisce ex ultimo anno concoctionis difficultates: gustus ac ruptus amarus, appetitus ciborum diminutus et vomitus, per septimanam interdum indurans, omnium ciborum, quibus fruebatur aegrotus. Anni proximi aestate una cum faecibus deponebatur sanguis ater, tenuis atque ex hoc tempore semper aderat dolor in ventriculi regione, qui lenissimo tactu valde augebatur, et usque ad mortem perstabat. Mense Januarii anni praeterlapsi in clinico auxilium petiit. Conditio aegroti tunc erat haecce: Sentiebat in pectore bene evoluto dolorem vehementem in sterni directione, qui se sinistrorsum longe in hypochondriam sinistrum extendit valdeque pressu, praecipue si sub costis spuriis alte tendis, augebatur. Spiritus ducendi facultas difficilis, praesertim, dum cubaret et inter tussim sensus corpusculi usque ad medium pectus ascendentis aderat. Parum tenacis muci tussi ejectum. Sonus percussionis in regione subclaviculari utriusque lateris normalis; in latere dextro vero a costa sexta usque ad duos fere pollices infra costas spurias et a media regione epigastrica usque ad marginem duodecimae costae fuscus: idem erat in latere sinistro a tertia usque ad costam septimam in latitudine trium digitorum transversorum. Strepitus respirationis normalis; in latere sinistro prope

costae quartae cartilaginem audiebatur sussurrus quidam, strepitui folliculari similis. In hypochondrio dextro sonus fuscus late extensus, in sinistro sonorus; praecordia tensa et pressu dolorifica. Lingua pura, appetitus diminutus, interdum in picae forma subito apparens, vomitus paulo post cibos sumptos; sedes maxime irregulares, modo alvi obstructio. Cutis arida et frigida, somnus inquietus, animus tristis.

Ex omnibus, quae ex anamnesi ac conditione praesenti resultabant, dignoscebatur arthritis complicata haemorrhoidibus, gastricismo ac rheumatismo cordis.

Incipiebatur cura diaeta leniter alenti, at non irritanti; contra arthritidem, cum aegrotus vinum seminis colchici haud bene ferret, methodus Targue, sed sine eventu, longum per tempus adhibita; dolor trahens in extremitatibus calore devictus et difficultas in spiritu ducendo una cum accessu sponte evanuit; praeterea alvus quotidie solvebatur laxantibus aut clysmate. Hoc consilio efficiebatur, ut aegrotus satis bene per duos menses se haberet, ita ut opificio suo praeesse posset. Medio mense Maii subito eum invasit pericarditis: venaesectione et infuso digitalis cum natro sulphurico haec inflammatio quidem fracta est, sed angor, difficultas spiritus ducendi et leves animi deliquii remanserunt, et sub finem huius mensis denuo rediit inflammatio, sed magna statim venaesectione devicta est. Sub quintum et decimum diem mensis Junii exstitit dolor pungens in hypochondrio dextro, qui usque ad scropiculum cordis extensus pressu valde augebatur; praeterea ruptus ac vomitus amarus. Cucurbituli decem huic regioni orrhymenitidem hepatis incipientem facile oppresserunt. Eodem jam tempore in cordis regione sonus fuscus erat

magis extensus, pulsus cordis irregularis et quasi e profundo proveniens; pulsus arteriarum debilis, intermittens interdum; in inferiore parte pulmonis dextri satis perspicue audiebatur rhonchus subcrepitans, praeterea sonus percussionis fuscior et strepitus vesicularis debilior. Hydropericardium atque oedema pulmonum nunc aderant sine dubio et infusum digitalis cum ammon. muriatico igitur datum. Septem fere dies post tempore matutino subito vehementi tussi circiter sex unciae sanguinis spumantis ejectae. Statim venaesectio ℥ XII facta, herba digitalis cum tartaro stibiato, et contra accessus orthopnoeae liquor ammon. succinici praescriptus. Vespere vesicatorium pectori impositum. Postero die nova tussis sanguinolenta: receptum est decoctum Althaeae cum hyoscyamo et aceto digitalis. Ad vicesimum quintum diem pedes intumescere coepere; in dies increscit spiritus difficultas atque eo tantum superior thoracis pars tollitur; spatia intercostalia paene evanescunt. Frequenti ac difficili tussi ejicitur mucus tenax cum sanguinis striis. Paucis diebus oedema ad genua usque se extendit, facies fit tumida et primo et trigesimo die thorax exsudato fluido perspicuo erat extensus. Sumit aegrotus Ammon. carbonicum, fumum herbae Nicotianae et Stramonii ducit, pro potu ordinario infusum cerasorum petiolorum; illinitur praeterea quotidie dimidium drachmae unguenti cinerei: omnia nil proficiunt. Contra diarrhoea vehemens aegroto parat levamen, at quinto Junii die, una cum diarrhoea sponte evanescente, omnia increscunt symptomata. Oedema jam scrotum et totum crus tenet atque abdomen valde tumet. Datum est infusum petroselini cum ammon. acetico alternatim cum liquore ammon. succinici. Nihilominus omnia increscebant in dies; sopor et deliria taci-

turna accedunt et demum decimo septimo die aegrotus expiravit animam.

Sectio tres dies post mortem in quatuordecim graduum R. instituta est. Totum corpus oedematose tumefactum erat. Membranae cerebri sero aliquid obtectae; ventriculi cerebri eo haud carent. Pericardium circiter quatuor ℥ fluidi serosi, albidi flocculis albuminosis permixti continet. Membrana pericardii incrassata et diversis locis cum corde filamentis concreta. Superficies cordis alba et villosa materie obtecta; substantia et valvulae cordis normales. Sacci pleurae duabus libris serosi fluidi impleti. Pulmones cum pleura costali filamentis coniuncti; ex pulmonibus profluit, incisione facta, fluidum flavescens, spumas agens; partes pulmonum excisae submerguntur aqua; bronchi normales. In cavo abdominis quatuor librae et plus adhuc fluidi serosi. Lien perdurus, superficie inaequali, tuberosa, foveas digitorum pressu accipiens; longitudo huius visceris septem, latitudo quatuor et dimidium at maxima altitudo efficit tres pollices et dimidium; pondus quindecim unciarum et semis. Tela e flavo-rubro. Sub costis spuriis sinistris situs lien extenditur usque ad cristam ossis ilei et tres pollices a media abdominis linea semper abest. Hepar mole adauctam lineam dictam attingit; figura eius valde mutata; lobus sinister est longus novem pollices, latus sex et dimidium, et altus tres; lobus autem dexter quatuor longus, quatuor et dimidium latus et quatuor altus. Substantia fuscior et normali aliquid durior. Vesica fellea, ventriculus et tractus intestinorum haud discedunt norma. Ren dexter sinistro minor, substantia utriusque pallida, ceterum normalis; urethra nullam stricturam ostendit.

Vita

FRANCISCI KLAES.

Natus sum Bonnae die XIX. mens. Novemb. MDCCCXV patre Leonardo Klaes, bibliopego, iam sex annis dira mihi morte erepto; matre Anna Maria Sigismunda, e gente Pastors. Fidem amplector catholicam. Per octo annos Gymnasium Bonnense frequentavi. Inde cum testimonio maturitatis dimissus et XIV. Octobr. MDCCCXXXVI. a Freitagio V. Cl. tum Rectore Magnifico, in civium numerum Regiae Litterarum Universitatis Rhenanae relatus, nomen dedi apud Decanum t. t. gratiosae facultatis medicae spectatissimum Naumannum V. Cl.

Praelectiones, quibus interfui, sunt:

Introductio in studium philosophiae, logice, psychologia ap. v. Calker V. Cl.; physice experimentalis ap. Plücker V. Cl.; zoologia, de mammalibus ap. Goldfuss V. Cl.; mineralogia ap. Nöggerath V. Cl.; botanice ap. Treviranum V. Cl.; chemia experimentalis, phyto- et zoochemia ap. G. Bischof V. Cl.; operationes chemicae ap. Bergemann V. Cl.; Celsus de arte medicina ap. Ritter V. Cl.; encyclopaedia et methodologia medica ap. Albers V. Cl.; pathologia generalis cum semiotice, pathologia specialis tum acutorum, tum chronicorum morborum ap. Naumann V. Cl.; anatomia corporis humani, generalis et specialis, ars cadavera secandi ap. Mayer V. Cl. et Weber V. Cl.; physiologia et de evolutione pulli gallinacei in ovo ap. Mayer V. Cl.; anatomia herniarum ap. Weber V.

Cl.; pharmacologia, doctrina formulas concinnandi, medicina forensis, de epizootiis ap. E. Bischoff V. Cl.; de historia medicinae et de policia medica ap. Harless V. Cl.; de educatione medici, de experientia et experimentis, anthropologia, physiologia, therapia generalis et specialis, clinicum medicum propaedeuticum et therapeuticum, colloquia clinica ap. Nasse V. Cl.; chirurgia, anatomia chirurgica, akiurgia, de fasciis applicandis, de oculorum morbis, de operationibus in cadaveribus faciendis, clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum ap. Wutzer V. Cl.; ars obstetricia, de morbis infantum, de morbis uteri, de instrumentis obstetriciis, exercitationes ad phantoma, clinicum et policlinicum obstetricium ap. Kilian V. Cl.

Quibus viris clarissimis et optime de me meritis gratias ago quam maximas, gratissimumque animum semper confitebor.

Theses.

1) *Diagnosis in morbis curandis gravissimum est.*

2) *Oculus uberrimus est semiotices fons.*

3) *Forma thoracis e pulmonibus pendet.*

4) *Fungus medullaris sanari non potest.*

5) *Tenotomia sola plerumque nil valet.*

6) *Ulcera syphilitica solo adspectu cognoscenda.*

7) *Nulla virginitatis certa signa.*

8) *In primiparis partus praematurus artificialis haud est instituendus.*

9) *Vivum foetum interdum perforare licet.*

10) *Perforatoria, quae trepani formam prae se ferunt optima.*